

92  
CAROLI SIGONII

POSTREMA ORATIO  
PRO CONSOLATIONE  
CICERONIS

Nunc primum in lucem edita

*A Gratio Lodio Garifendo Bonon. Cler.*

---

A D  
ILLVSTRISSIMVM  
D. IVLIVM RIARIVM  
SENAT. BONONIEN.



BONONIAE  
Apud Hæredes Io. Rofsiij MDXCIX.  
*Superiorum permiffu.*



ILLVSTRISS.<sup>MO</sup> VIRO<sup>3</sup>  
D. IVLIO RIARIO

SENATORI BONONIENSI,

Mæcenati suo,



Gratius Lodius Garisendus Bonon.

Clericus. S. P. D.



*VM* *ann* abhinc deci-  
mi quinto libellum de  
luctis minuendo, sub  
Ciceronis nomine edi-  
tum, Carolus Sigonius  
magnopere sibi proba-  
tum, studiosis commenda-  
isset, atq; editis ora-  
tionibus duabus, in quibus eum esse germa-  
num Ciceronis fætū, luculenter ostendit, con-  
tra non nullorum, id negantium, per erudito-  
rum hominum, auctoritatem, præsertimq;  
aduersus Antonij Riccoboni, litterarum hu-  
maniorum in Patauino Gymnasio profes-  
oris,

4  
soris sententiam, disputasset; atque allatam  
à Riccobono sententia suae defensionem con-  
futasset; ille verò aduersus confutationem  
hanc dialogum, quem Defensorem inscri-  
psit, edidisset; nec dum satis utrinque pero-  
ratum in causa videretur; en tibi Sigonij  
luctuosissimum bonarum litterarum stu-  
diosis interitum, qui ut illius vita, sic etiam  
instituta contentioni finem imposuit. Sed  
reliquit tamen ille tertiam, Et si non tam  
perfectam (ni fallor) quam adumbratam  
orationem, in qua non ut sub propria, sed  
veluti sub aliena persona Riccobonum con-  
futabat, cuius mihi copiam fecit Antonius  
Gigas; cui Deus vita functo propitius fue-  
rit; peramicus Sigonij, et per dignus Sigo-  
nio, eiusque similibus amicus, ea fuit tum do-  
ctrina, tum probitate praeditus. Qui qui-  
dem eius edenda magnum praeserebat de-  
derium. Ego igitur, ut Gigantis, amicus

5  
mei summi, pijs manibus gratificet, & ut  
quam possim opellæ huic vitæ periclitanti  
opem feram (quippe eius vix vnum, aut al-  
terum inueniri exemplar audio: Quæ ta-  
men, ut & meum ipsum, non omnino men-  
dis vacare videntur) typis eam æreis, id est  
immortalitati, commendare decreuit, non  
ignorans fore, ut fructum inde haud negli-  
gendum capiant studiosi, quando præstan-  
tissimi viri opus, quantumuis rude, & im-  
politum vel maximè elaborato, atq; expo-  
lito inferioris hominis, anteferendum vide-  
tur. Quod sanè meum consilium ne ab ipso  
quidem Riccobono improbandum, aut egre  
ferendum censeo, cum id ipsum ad laudem  
eius quodammodo pertineat. tamquam  
enim e specula prospicio fore, ut hæc, quæ  
nunc eduntur, ex eloquentissimi viri inge-  
nio exprimant aliquid studiosis bonarum  
litterarum non minus utile, quam cognitum

incundum, atque idoneum in primis ad magis illustrandam eius eruditionem. Cum autem sub præclaro Illustris Viri numine lucubratiunculam hanc apparere vellem, statim mihi Tu in mentē Venisti (Iuli Illustris.) cui vni de me optimè merito plus sane debeo, quam alijs vnà omnibus; & cui debere me, plusquam alij cuiuis, gloriari soleo: tu scilicet, quem non solum nobilissimorum series progenitorum, qui suis olim in Remp. Venetam meritis ad communionem Venete nobilitatis sibi viam aperuerunt, sed et, propria industria quæsitæ, virtus nedum inter primarios & ciuitatis huius, & senatus eius, sed inter totius Italia clarissimos viros reponit. ipse. n. quasi nullo ex tuis aut sacra Senatus Romani purpura, aut summi Pontificatus apice, aut multarum Urbium dominatu, aut armorum gloria, in quibus summa etiam impe-

7  
ria gessere, aut litterarum laude praefulse-  
rit (quae tamen omnia ad magnitudinem fa-  
miliae tuae conspirarunt) eum te esse voluisti;  
ut vel obscurissimo generi nobilitatem con-  
ciliare possis, siue mores tuos verè regios, ac  
vitae splendorem, siue ingenium ad summa  
natum, & acerrimum tum in toga, tum in  
armorum studijs spectemus, maximamq;  
in viros litteratos animi propensionem. Tu-  
um est igitur, vir ampliss me, eius operis sus-  
cipere patrocinium, quod ab eximio profe-  
ctum est ingenio; atq; hoc munus à me hila-  
ri vultu accipere. Quod si te fecisse videro,  
ad maiora tibi offerenda haud mediocri-  
ter incitabor. Vale iterum, atq; iterum. Bo-  
nonia, ineunte anno salutis MDXCIX.



A A A D

8  
**AD ILLVSTRISSIMVM**  
**D. IVLIVM RIARIVM**  
**SENATOREM BONONIENSEM**  
**ROBERTI TITII**  
**CARMEN.**



*Non te, quòd clara splendes virtute tuorù,  
 Qui latè populis iura dederè püs ;  
 Aut, quo purpureo frontè cinxisse galero  
 Max mæ Romulidâ gloria, honosq; fuit;*  
*Non, quod eos triplici xitit diademate crinem  
 Eunetos flauis Albula diues aquis ;  
 Non, quòd congestis opibus sine crimine fulgent  
 Aedes, regificis quas colis ipse modis ;  
 Non, quòd formosos præfers pubente iuuenta  
 Vultus, vnde faces ciaculatur Amor ;  
 Eximÿs cuncti certatim laudibus ornant,  
 Aureaq; extollunt nomen ad astra tuum :  
 Sed, quòd perturbas florentes ære caternas  
 Fulminea intentans hostibus ense necem ;  
 Quòd iuuenile suis implet sapientia pectus  
 Artibus, & mores edocet illa probos ;  
 Quòd te præstantem reddit facundia lingua,  
 Vt cunctarum animos flectere voce queas ;  
 Quòd virtute viros insignes diligis, & quòd  
 Vel summis stauis, of suÿq; , iuuas.  
 Hoc laudant omnes, hinc te admirantur, & vnum  
 Atq; hinc certatim se tibi quisq; dicat.*



CAROLI SIGONII  
PRO CONSOLATIONE  
CICERONIS  
POSTREMA RESPONSIO.



VNT qui putent inter A. Riccobonum, & Carolum Sigoniũ grauem adeo de noua Consolatione versari diffensionem, vt nulla ratione conciliari possit. Non est ita. Non modo Riccobonus à Sigonio non discordat, verum mire quoq; de summa quæstione consentit: ac verbo potius, quàm sententia discrepat: vt verissimum esse illud, tandem appareat, bonum virum non voluntate solum, sed ne opinione quidem ab amico posse esse diuersum. quod hoc loco videtur aperiendum. Primum Riccobonus se tamquam incertum sententiæ nihil affirmare significauit, vtrũ hic liber germanus esset Ciceronis, an ab aliquo alio simulatus, cum multos fuisse narravit, qui lucri causa libros subijcerent: ac demum intulit: [ Id, quod fortasse çuenit huic libro, qui Consolatio Ciceronis inscribitur [. Deinde cum rationes suas, coniecturas

cturas vocavit, cum verisimilia sequutum  
 se, inquit; cum in his se parum momenti  
 ponere, sepe repetijt; cum eadem alieno ro-  
 gatu raptim a se congesta, denunciavit, pro-  
 fecto, ne se quidem in ea re sibi satis place-  
 re, ostendit. Neque vero aliter Sigonius  
 sentit, quàm, se parum exploratum habe-  
 re quid de hoc libro constituat: vt, cum in  
 Epistola ad Franciscum Vianellum scribit:  
 [ Vt librum hunc legi, ac singularem elo-  
 quentiæ, ac doctrinæ copiam elegantiamq;  
 cognoui, ilico ipsum aut Ciceronis, aut  
 certe præstantissimi alterius videri esse in-  
 genij, protuli. ] Et post in prima oratione  
 [ Haud grauate feci, vt, quæ mihi pro illo  
 dici posse viderentur, litteris consignarem,  
 ne præclarum, atq; vtile forte opus indicta  
 causa damnatum, temere à nostris biblio-  
 thecis & scholis ablegaretur. Atque hoc  
 quidem officium meum spero me æquis iu-  
 dicibus omnibus facillime probaturum;  
 certe, quantum consequi vetere reuocanda  
 harum literarum industria potero, haud  
 quaquam susceptam causam incommoda  
 aliquorum opinione affligi, ac labefactari

permisero ; ita tamen , vt facile de proposito decessurus sim , si quem post hac aut veriora , aut probabiliora vel sensisse , vel protulisse comperero ] Item [ Quo de genere meam ego hoc loco sic sententiam interponam , vt non de tota re aliquid asseuerantius statuam , sed quibus potissimum rationibus liber hic Ciceronis asseri possit , ostendam : neque vt aliquot erroris tenebras eis obijciam , qui adulterinum , sed vt facem veritatis eis aliquam præferam , qui germanum esse , existimant. Quod si forte contigerit vt opinione , atq; consilio labar , non ego cupidus , aut mendax , sed humanæ coniecturæ lubricæ , ac fallaces erunt habendæ. siquidem fit sæpissime , vt maiorem vim habeant probabilitatis , quæ minorem præferunt speciem veritatis. Quam quidem nos aut his vestigijs , aut nullis alijs in hoc rerum genere assequemur ] Et in extremo dialogo [ Hunc librum ego neq; scripsi , neq; edidi , neq; auctor cuiquam edendi fui , sed tantum editum ita probavi , vt ad veritatem propentiora multo mihi videri dixerim ea , quibus confirmaretur , quam quibus

bus euerteretur ] Eundem autem ad hanc  
 disputationem venisse, veritatis, non con-  
 tentionis, studio, illa indicant in secundae  
 oratione [ Argumenta dissentientium ex-  
 pendamus, eo animo, ut si graua, & vera  
 esse deprehenderimus, vltro illorum nos  
 partibus aggregemus, sin minus, in nostris  
 quasi stationis praesidio maneamus, ceteris  
 vero, qui quasi spectatores liberalis huiusce  
 contentionis assiterint, causam certioris  
 ac sincerioris de re tota iudicij praebemus.  
 Neq; n. verum elucere, nisi causarum utriusque  
 facta contentione, potest ] Dissentientes  
 quippe appellat omnes, quorum opinionem  
 non probat, non, quemadmodum nunc argu-  
 gitur, aduersarios; ut perspicuum esse po-  
 sit, ipsum cum causa, non cum hominibus  
 dissidere. Iam vero de prima Riccoboni  
 coniectura quae maior potest esse concor-  
 dia? nam cum ille scripsisset, Ciceronem  
 scripturum in tertia Tule: fuisse [ Quod  
 vetat Chrysippus, ut in consolationis prin-  
 cipio scripsimus, ad recentes quasi tumores  
 animi remedium adhibere ] ac morem fuisse  
 se Ciceronis adhibendarum testificationem  
 eius.

eiusmodi, adiecisset; Sigonius vero, multis  
 contra locis prolatis, talem testificationem  
 superuacaneam ostendisset, ille semel, ite-  
 rumq; rescripsit, ne se quidem in eo ma-  
 gnum admodum præsidium collocare; ac  
 Sigonio prope succēssit, quòd mentionem  
 rei semel concessē reuicūisset. itaq; eam co-  
 niecturam ne numerare quidem voluit: at-  
 que de albo reprehensionum suarum exe-  
 mit: in secunda vero, quam ille primam ap-  
 pellat, aliqua fortasse controuersia hæere  
 videatur; sed quæ, rectè intellecta facile di-  
 rimatur. Dixit. n. ille Ciceronem redditu-  
 rum fuisse rationem eius sententię [ Recen-  
 tibus morbis medicinam adhibere vetant  
 sapientes] quia controuersa esset, atque illi  
 alteri repugnaret [ Principijs obsta, serò me-  
 dicina paratur [ nam Arist. scripsisse in se-  
 cundo Rhet. sententiarum, si controuersæ  
 essent, rationem subijciendam esse. Sigo-  
 nius autem negauit hanc esse sententiam  
 ex numero earum, de quibus tum loquutus  
 est Arist. eas. n. appellat *γνώμης*; definitq;  
 vniuersalia pronuntiata de actionibus, &  
 ijs, quæ aut persequenda, aut fugienda fo-  
 rent.

rent: quæ tantum morales essent, id est, ad philosophiam pertinerent, quæ non in cognitione, sed in actione consisteret. sed propositionem, & sententiam medicam esse autem quales sunt aphorismi Hippocratis, in quibus corporis morbis medicina conquiratur: illam vero alteram esse moralem; cuiusmodi sunt propositiones ethices; in quibus translate morbi animi, & eorum medicina consideratur, & traditur, ut doloris, & amoris in Tuscol. & amoris præcipue apud Ovid. in libro de remedio amoris, ubi hanc sententiam [Principijs obsta] multis modis enunciauit. Quod cum ita sit, sequitur, hanc sententias inter se repugnare non posse: & propterea haud necessario effici, illam ex auctoritate Arist. ratione confirmandam fuisse. Hactenus discordia eorum pertinere videtur. Quæ vero infert Sigonius de probabili propositione, aut ratione, aut auctoritate corroboranda, ea confiteri quodque Riccobonum est verisimile, quia locum Aristot. ab eo quoque prolatis innititur. sed autem Sigonius ait [Recentibus morbis medicinam non esse adhibendam] propositionem

mem esse probabilem : probabiles autem  
 propositiones probari aut per se , aut quia  
 ratione probatae sint , aut quia sapientum  
 auctoritate nuntur. per se , vt quibus sua  
 natura omnes aut pleriq; homines assen-  
 tiantur: ratione, vt ea, quae argumentis aut  
 signis confirmata sunt: auctoritate, vt quas  
 viri in philosophia nobiles protulerunt .  
 itaq; licere eas aut sine ratione pronuncia-  
 re, aut auctoritate munire. sine ratione, hoc  
 modo [ Quoniam non solum nobis nati sumus,  
 sed etiam patriae, parentibus , & ami-  
 cis, propterea naturam sequentes , mutuis  
 inter uos officiis certare debemus ] ratione  
 hoc pacto [ Quoniam non solum nobis nati  
 sumus, sed & patrie, parentibus , & amicis ;  
 in patria. n. orti, à parentibus geniti sumus,  
 cum amicis omnia commoda vitae commu-  
 nicamus ] vel aliquid tale : Auctoritate , vt  
 Cic. primo de offic. [ Quonia n, vt præcla-  
 re scriptum est à Platone, non nobis solum  
 nati sumus , &c. ] Itaq; idem Cic. Tusc. 5.  
 dixit [ humanus autem animus decerptus  
 ex mente diuina cum alio nullo , nisi cum  
 ipso Deo comparari potest ] hanc enim

propositionem neque ratione, neque au-  
 ctoritate fulciuit, vt satis probatam à Pi-  
 thagoricis. At in Catone ad auctoritatem  
 eorum confugit] Audiebam Pythagoram,  
 Pithagoricósq; omnes non dubitasse, quin  
 ex vniuersa mente diuina delibatos animos  
 haberemus] primo autem de diuinatione  
 pro Pythagoricis, Sapientes reposuit [ A-  
 deorum natura, vt sapientissimis, doctissi-  
 misq; placuit, haustos, ac delibatos animos  
 habemus] Quod In hac quandoq; consola-  
 tione sic expressum est [ Pithagoricorum  
 semper constans fuit opinio, demitti ani-  
 mose cœlo] quomodo ergo Ciccr fecit, sic  
 & scriptor hic, quicumq; fuerit. Neq; n. sim-  
 pliciter dixit, [ Quãquam recentibus mor-  
 bis medicina non est adhibenda] sed [ adhi-  
 bere vetant sapientes] vt postea [ non vere-  
 or quin, si minus in ipso doloris estu reme-  
 dijs vtendum homines censeant, certe, cum  
 modice dolor resederit, ac se paullum qua-  
 si remittere cœperit, ad extinguendas re-  
 liquias, monita, præceptaq; nostra adhibe-  
 antur] atq; huic quoq; doctrinæ Riccobon-  
 nem assentiri, libet credere, nempe vbi sa-  
 pientum



pientum auctoritas est prelatata, rationem su  
 peruacaneam esse, aut propositiones om-  
 nes ratione sapiendas non esse, neq; argu-  
 mentum procedere. Hęc propositio, aut sen-  
 tentia non habet subiectam rationem, ergo  
 non est Ciceronis. nam prima propositio  
 primæ eius orationis caret ratione: [ Quæ  
 res in ciuitate duæ plurimum possunt, eę  
 contra nos ambę faciunt in hoc tempore,  
 summa gratia, & eloquentia ] & tamen est  
 ex numero sententiarum, quas Arist. ratio-  
 ne firmandas præcepit. sic. n. formari ex præ-  
 ceptis illius potest: Nihil est potentius in  
 ciuitate gratia, & eloquentia: aduersatur  
 autem vulgari opinioni, Nihil est poten-  
 tius diuitijs, & opibus; de quo queritur in  
 oratione pro Sex. Roscio. Qui vero fuerint  
 hi sapientes, qui recentes morbos curan-  
 dos esse negarint, siue Hippocrates, qui di-  
 xit [ Concocta medicari, & mouere, non cru-  
 da, neque in principijs ] siue Plato, qui scri-  
 psit [ Morbi, nisi periculosissimi sint, medi-  
 camentis non sunt irritandi, nec difficile  
 malum pharmacis instigandum ] siue Chry-  
 sippus, qui scriptum reliquit [ Recentibus

tumoribus non sunt adhibenda remedia, si  
 ve alius quis nobis ignotus scriptor; siue  
 falsa sit hæc propositio, siue vera, siue de  
 parte vna medicinæ, siue de omnibus vere  
 dicatur, hoc ad medicos reijciunt oratores,  
 qui probabilitatē propositionis quærunt,  
 non de remedij veritate laborant. Cui rei  
 ipsum quoq; Riccobonum perspicuum est  
 ex verbis eius, præbere assensum. Secunda  
 coniectura fuit de senectute. sic. n. scripserat  
 in primo iudicio [ cum ageret de conditio-  
 nibus ætatum, mire senectutem vitupera-  
 uit. Quod si fecisset Cicero, de ea re in li-  
 bro de senectute, quem paullo post scripsit,  
 se excusasset, vbi ipsam senectutem magnis  
 laudibus extulit, & à quattuor illis accusa-  
 tionibus defendit; quod auocet à rebus ge-  
 rendis: quod corpus faciat infirmum: quod  
 priuet omnibus fere voluptatibus: quod  
 haudprocul absit à morte ] Monitus inde,  
 Cicer. hoc facere non potuisse, quia Cato-  
 nem loquentem, ac senectutem ab quattu-  
 or illis criminibus defendentem fecit, qui  
 centum antè annos vixerit, quàm Cicero  
 consolationem conscriberet, respondit, id  
 in

in proœmio ex sua persona facere potuisse. edoctus iterum Ciceronem hæud quaquam in proœmio senectutem ab illis quattuor criminibus defendere potuisse, nunc demum infert [ Dixi Ciceronem potuisse se excusare non solum in proœmio, sed etiam in ipso dialogo sub persona Cætonis non nominatim, sed in vniuersum, vt diceret, in Consolationibus, vbi agitur de conditionibus ætatum solere senectutem vituperari, sed id fieri, vt causæ seruiatur. vere autem omni laude esse dignam. & si proœmia cōceduntur à re separata, cur non & in quibus res aliqua excusetur? ] Ex quo sequitur eum voluisse Cætonem ita dicturum fuisse [ Ego ad Senectutem laudandam, ac defendendam accedam contra quam qui consolationes scripserunt, qui de conditionibus ætatum agentes, eam vt causæ seruirent, vituperarunt ] Quod facere non potuit. nã eis, ac simul ijs, qui de contemnenda morte scripserunt, satisfecit, cum dixit [ Non libet mihi deplorare vitã, quod multi, & docti viri sæpe fecerunt ] neq; huius officij præmissio hunc librũ Ciceronis non esse.

coarguit. Apparet autem Riccobonum huic sententiæ tacite ad stipulari, quia vno in loco negavit Ciceronem in consolatione senectutem vituperasse, in altero vero, morè ait fuisse eorum, qui cōsolationes scriberent vt eam ætatem accusarent. quo verbo Ciceronem quoq; eam consuetudinè retinuisse significat. neq; .n. eo nomine hunc librum Ciceroni adimendū assensit. nam si Cicero ex persona sua excusandæ senectutis causa dixisset, vt ipse nosti in proæmio, scio plerisq; inuisam esse senectutem, quia à rebus geundis auocet, corpus faciat infirmū, priuet omnibus ferè voluptatibus, haud procul abest à morte, tamen longè falluntur, quia nihil eorum officit, quod argumentum reliquisset sequenti Catonis disputationi? De tertia nulla iam amplius relinquatur controuersia. Etenim cum ille dixisset, multas hic esse sententias alibi à Cicerone vsurpatas, atq; in eis colligendis summum studium posuisset, Sigonius autem ostendisset, licere id fieri, atq; à Cicerone sæpissime factitatum; & quasi vt fieret, esse præceptū, Respondit tam multa necessaria non fuisse.

nam se id non abnuere. atq; hanc etiam notationem ex tabulis censorijs sustulit. Quin etiam cum obiecisset, multa hunc paullisper immutata ex libris Ciceronis hausisse, ac Sigonius contra ostendisset, Ciceronem item multa sua paullulum (non paullisper) immutata alibi sepe repetiuisse, pariter id se non negare asseruit; ut nihil in hac reprehensione ponderis esse significarit. Cum porro vitio vertisset quod hic vitiosas aliquot historias attulisset, parum scite Decios, pro Decium, & Scipiones, pro Scipiones scribens: & Sigonius id factum partim rationibus, partim probabili librariorum crimine defendisset: ac denique si erratum esset, leue esse, ac Ciceronem, & Lium alias grauius deliquisse, in historia, docuisset, hic causa omissa accusare Sigonium tamquam bonorum auctorum insectatorem instituit, atq; magna indicia exemptę dubitationis dedit. Reprehenderat quod hic dixisset [ Filio suo ] pro [ filio eius ] inde multis grammaticorum exemplis, ad quos reiectus fuerat, refutatus, respondit se intellexisse, rarius id à Cicerone usurpatum fuisse,

Accusarat quod hinc versum Ennii recitans  
 [Pro priamo vi vitam euitari] dixisset [Pri-  
 amo vi vitam auferri] ac rogatus vt aliud  
 exemplum proferret ipsius [Euitari] pro,  
 auferri, nullum protulit, nisi eundem ver-  
 sum alias apud Ciceronem vsurpatum [Do-  
 ctrinam] pro Doctrione, fastidierat, prolati-  
 eius significationis apud Ciceronem exem-  
 plis se non eo offensum ait, sed quod dixit  
 primum [doctrinæ] deinde [docuit] Dixerat  
 hunc quædam à Mureto sumpsisse. Quis ea  
 ex animo ipsum dixisse putaret, qui ipsum  
 Deum contestantem videret, se, cum hæc  
 scripsit, credidisse hunc librum ab homine  
 tercentum ante annos nato esse conscri-  
 ptum? Verba sunt hæc [Cum clara etiam di-  
 uini numinis contestatione affirmo spectat  
 se vetustiore illum simulatorem, cuius li-  
 brum haberi Venetijs manuscriptum 300  
 prope annorum antiquitatem præferen-  
 tem in vulgus iactatum est] Quarta conie-  
 ctura fragmenta inserta comprehendit. In  
 primis ergo cum hic dixerit [Crantor hu-  
 manæ vitæ incommoda ita diligenter ex-  
 pressit, vt quasi luendorū scelerum causa  
 homi-

homines nasci possis agnoscere ] obiecit illud [ quasi luendorum, a Sigonio esse acceptum. Responsum est, hunc iunxisse [ Quasi ] cum [ agnoscere ] non cum [ luendorum ] idq; tribus rationibus colligi. vna, quia idē post repetens, dixit [ Redeo ad illud, quod initio dixi, homines luendorum scelerum causa nasci ] non [ quasi luendorum ] Altera quia [ quasi agnoscere ] est [ Quodammodo agnoscere ] quomodo locutus est Cic. scribens ad Seruium [ Et meum dolorem quodammodo agnosco ] Tertia quod eandem sententiam alijs quidem verbis, sed idem declarantibus, in Hortensio vsurpauit. [ Ex quibus humanis vitę erroribus & ærumnis fit, vt interdum veteres illi siue vates, siue in sacris, initijsq; tradendis diuinę mentis interpretes, qui nos ob aliqua scelestia suscepta in vita superiore pænarum luendarum causa natos esse dixerunt, aliquid vidisse videantur, verumq; sit illud, quod est apud Aristotelem, &c. ] sic. n. & hic dici posse [ Crantor adeo diligenter humanę vitę incommoda expressit, vt quodammodo verum id esse possis perspicere, quod veteres

dixerunt, luendorum scelerum caussa homines nasci] Quibus rationibus cum ipse primum ita responderit [ Durum hoc mihi videtur] Deinde [ nemo est, qui vocem, Quasi, non referat ad vocem, Luendorū] Quis est, qui non videat, hoc ipsum velle? quamquam nemo est, quin primo aspectu ita coniungeret, tamen, vt hic monet, est coniungendum : & hæc ratio aduersus hunc librū infirmissima est? Recitans hic porro idem dictum, [ Homines luendorum scelerum caussa nasci] dixit [ nasci, & in hanc lucem ingredi ] quo loco Riccobonus postremum additum esse ab eo de suo notauit, tamquā glossema ipsius [ Nasci] Responsum est, Lactantium obiecisse Cic. quod cum hæc dicta Græcorum vsurparet, in quibus voces [ Nasci, ] & [ Mori] concelebrantur, adiecerit aliquid de suo, vt ornaret, dixisse. n. [ Nō nasci. nec in hos scopulos incidere vite, Mori, & tamquam ex incendio effugere fortunæ] Quare eodem quoq; ornatu dixisse [ nasci, et in hanc lucem ingredi] Non probante illo, quia [ Nasci, & in hanc lucem ingredi ] idem esset, ostensum est, morem hunc  
 fuisse



fuisse Ciceronis vt [ nasci ] duobus modis idem declarantibus explicaret, vt [ Nati, & in lucem editi; In lucem editi, atque suscepti, sati, & creati, ortum, & natum; fac nasci hominem, & in lucem edi ] & alia, quæ non est necesse repetere. Quibus auditis ille demum cedens dixit, [ Aliorum sit iudicium ] Obiecerat, quod hic fragmento consolationis Ciceronis a Lactantio allato verba quædam de suo interiecisset. Occurrit Sigonius ea verba non interposita ab hoc, sed de industria a Lactantio prætermissa fuisse, quia causam suam non adiuuabant. solere. n. scriptores, cum verba recitant aliena, commoditati suæ consulere, neq; omnia ad vnguë exprinere, sed breuitatis causa pro arbitrio quæ superuacanea iudicent, de medio remouere. Sic Ciceronem fecisse, qui orationem Socratis ex Apologia Platonis recitans, aliquot, quæ visa sunt, interfecit. Quod cum ille negarit, sane tacite confessus est, si verum esset, se assensurum fuisse. Verum autem esse, vnicuiq; patebit, qui diligenter Græca cum Latinis coniunxerit. Quod hoc loco breuitatis causa omittitur.

Cur

Cur autem illa verba necessaria essent, causas tres afferebat Sigonius quas singulas si bi verbo refutandas suscepit Riccobonus primum. n. quæ erat, vt causam redderet, cur vellet filiam exemplo veterum consecrare, sic euertit, vt dicat, necesse non fuisse causam reddere, cur exemplo veterum vellet consecrare. nam omnibus patere veterum vestigijs insistendum esse. Cui responsum est, vetera exempla consecrati hominis apud Romanos necessaria fuisse, & memorię exoletæ. eos. n. vnum tantum Romulū inter deos retulisse: & propterea ad eam consuetudinem reuocandam probabile aliud quod excogitandum fuisse: secundam vero, quæ erat, vt proximam sermonis ad Tulliam conuersionem inferret, ita refellit, vt neget se videre necessitatem conuersionis sermonis ad Tulliam, quasi dicat, si viderem, assentirer. Dicitur, igitur inepte à tertia persona ad secundam transitum factum iri, cum inquit [ Assentiamur eorum sapientiæ, quorum ingenijs omnem vitam constitutam habemus, teq; omniū optimam consecrabo ] nisi præcessisset conuersio sermonis ad Tulliam

itam in ijs verbis, quæ temere interiecta pu-  
 tantur [ Neque hoc de se vna mea Tullia di-  
 ctum volumus ] cui succedit [ vigebis autem  
 memoria ] & post [ tibi igitur numquam me  
 persolvere officium putato ] demum [ teq;  
 omnium optimam consecrabo ] iam vnus-  
 quisq; perspicere hanc necessitatem potest.  
 Tertiam vero, quæ erat, vt quod Attico se  
 facturum promiserat de Tullia Græcis, La-  
 tinisq; literis celebranda, persolueret, ita  
 subuertit, vt dicat, non solui, quod Attico  
 promissum erat: sed solutum esse significa-  
 ri. Non sit in hoc controuersia. nam & si-  
 gnificat se eam celebrasse, & officio suo  
 tum primum palam facto concelebrat. Re-  
 pugnantiam inde illam intulit, quod La-  
 ctantius scripsisset Ciceronem dixisse, se  
 filiam consecraturum: & in fragmento Ci-  
 cero confirmasset, inquit [ Te consecra-  
 bo ] At hic auctor post, dixerit [ Te consecra-  
 ta, in cælumq; recepta ] Quæ quidem repu-  
 gnantia aut nulla est, aut facile, vel ipso con-  
 sentiente tolletur. Dixit enim primum se  
 consecraturum; deinde se consecrassè. re-  
 cte. vtrumq; Consecraturū, quia non dum  
 fanum

fanum construxerat, vt ex epistolis ad Aet-  
 ticum dicitur. quare neq; legitimam conse-  
 crationē obierat, quæ legitimis celebranda  
 ceremonijs erat. se consecrasset, quia con-  
 secrationis consilium cœperat, neque id  
 erui poterat. & quod ad voluntatem iam fa-  
 ctum erat. Vtuo quoq; dat, quod fragmen-  
 tum consolationis attulerit emendatius, ac  
 plenius, quam in vulgatis Lactantij codici-  
 bus legatur. Cum enim ita lectio sit [Quod  
 si vllam animal consecrandum fuit, illud  
 profecto fuit] Hic tamen scripsit [Quod si  
 vllum animal cōsecrandū fuit, qualia mu-  
 lta consecrauerunt Aegyptij, quod nullum  
 profecto fuit] Responsum est, id recte factū.  
 Locum. n. vetere Patritij iudicio fuisse cor-  
 ruptum, neq; ab eo, licet multis excogita-  
 tis emendationibus, potuisse restitui; qua-  
 rum vna fuit pro [illud profecto fuit, sicut  
 profecto fuit] Hanc autem huius, cum sit  
 omnium optima, apparere non ab imitato-  
 re, sed ab auctore esse prolatam, hoc sensu.  
 Si vlla bestia consecranda fuit, quales mul-  
 tas consecrauerunt Aegyptij, quarū nulla  
 consecrāda fuit, vt ante dixi, si ex homini-  
 bus

bus præcipuè Hercules, Castor, & Pollux consecrandi fuerunt, certe idem honos Tullix eadem de causa tribuendus est. Ad quæ demum cum ita respondit[ Omnino si librum non esse adulterinum existimarem, istam explanationem admitterem] non ne tacite se ratione victum in hanc inclinare sententiam declarauit? Alteram etiam repugnantiam attulit, quam Achillem suum vocauit; quod Lactantius prodiderit, Ciceronem in consolatione dixisse, se vexationes inimicorum, atq; exilium forti animo pertulisse: at vero cum Tulliam amisisset conuersum ad fortunam in eas voces erupisse[ Cedo, & manum tollo] At in hoc post libro dicere[ victor de dolore, & de fortuna triumpho ] Responsum est Ciceronem in primo doloris articulo dixisse[ Cedo] post, Philosophix præceptis recreatum subiecisset[ De fortuna triumpho] Lactantium vero primum tantum dictum, vt sapiente indignum ad reprehendendum arripuisse, vt qui omnia eiusmodi Ciceronis dicta sibi refuranda putarit. cum autem ipse idem, quod anteq, subijciat, Lactantium non reprehensurum

surum fuisse Ciceronem si se fortunæ victo-  
 rem dixisset, ostendit se facile huic rationi  
 assensurum, nisi prætulisset, se in hoc argu-  
 mento. spem totam victoriæ posuisse. In  
 quinta inde coniectura crimini dedit,  
 quod in commemorandis quorundam viro-  
 rum, ac fæminarum, qui & suam, & propin-  
 quorum suorum mortem moderate tulif-  
 sent, exemplis ordinem temporum non ser-  
 uaret; Quem tamen S. Hieronymus lecta,  
 vt videtur, consolatione tutatus sit: Respon-  
 sum est, oratores ac Philosophos non sem-  
 per in afferendis exemplis ordinem tempo-  
 rum custodire, sed commoditati disputa-  
 tionis consulere: neq; Ciceronẽ neq; alios  
 eum perpetuè tenuisse, Sanctum etiã Hiero-  
 nimum illa exempla à Grecis, quos etiã  
 nominat, non à Cicerone sumere potuisse.  
 quorum primum confitetur, verum esse, at  
 aliter ait fieri potuisse. De Sancto autem  
 Hieronymo ita hæsitat, vt facile declaret,  
 ipsum Sizonij sententiæ adhærere. nam  
 vno in loco dicit [ Mihi verisimile videtur  
 Sanctum Hieronymum Ciceronis studio-  
 sum, cum illa scribebat, habuisse præmani-  
 bus

bus ipsius Ciceronis consolationem] in altero vero [ Quasi vero Sanctus Hieronymus cum esset in bibliotheca sua, & materiam consolationis pertractaret, non potuerit etiam ante oculos habere alios libros quã consolationem Ciceronis] Addit inde Sigonio quoq; magis assentias, si Harpagũ, Dionem, Praxaspem à Cicerone cõm memoratos esse aliquorum testimonio constaret, ex hoc capite consolationem suspectam non habere in, tacite innuens, quoniam hic Periclem, Xenophontem, & alios nominavit, quos aliorum testimonio nominatos à Cicerone constat, propterea se ex eo capite suspectam consolationem non habere. itaq; subdit, se non prorsus negasse exempla Harpagi, Dionis, & Praxaspis à Cicerone allata esse, sed propter eã, quam habet de ista consolatione suspicionem scripsisse id sibi certum non esse. Maxime autem in eo sententiam Sigonij comprobatur, quod temere C. Catonem filium pro matre Rutilia exemplum fortitudinis nominavit. nam cum scripsisset in primo iudicio [Meminit Cæpionis, Lepidi, & C. Cottæ,

tæ, de quibus se dubitare Ciaro scripsit ad Atticū] monitus debuisse diere [ Lepidi, & Rutiliæ ] de his enim dubitauit Cicero inquiens [ Quæro Rutilia uiuo ne C. Cotra frilio mortua sit, an mortuo pertinet ad librū quem de consolatione scripsimus ] de mumfic respondit [ Non me valde errasse existimo, cum mater, & filius ita inter se referantur, vt, vna persona nominata, etiam altera intelligi possit ] itaque imbecillitatem responsionis animaduertens, non fuit pertinax, atque, vt debuit, hanc notam ex catalogo animaduersionum remouit.

Sexta inde coniectura verba parum Ciceroniana complexa est; quæ in alijs libris Ciceronis non reperiantur. Responsum est placuisse veteribus gramaticis præcipua quædam verba in singulis libris a Cicerone adhibita esse, neque facultatem Ciceronis certis se finibus inclusisse. Statiliū olim librum de singularibus apud Ciceronem composuisse, Nonium multa nouè dicta à Cicerone collegisse; Senecam, Quinctilianum, & Sidonium noua item non nulla notasse in:ijs, qui exstant, libris passim multi  
fin.



singularia legi: in fragmentis eius etiam non  
 nulla singularia animaduerti, in Catone ma-  
 iore plura, quam in hoc inueniri. hæc verò  
 si non à Cicerone at à Latinis factitata re-  
 periri eorumq; alia ratione translationis,  
 alia ratione analogiæ posse defendi. Quæ  
 cum omnia vera esse confirmet, sane senti-  
 re videtur parum roboris in eo esse argu-  
 mento, Hic liber non est Ciceronis, quia vo-  
 ces quasdam continet, aliàs à Cicerone nõ  
 vsurpatas. Vt autem numerum vocũ in Ca-  
 tone singularium aliquantulum, non, vt  
 ipse inquit, [ aliquantũ per ] imminueret,  
 eas non auctoritate Ciceronis, vt debuit,  
 sed vel varietate lectionis; vel bonitate lo-  
 cutionis defendit, profecto significans hæc  
 quoq; quæ Sigonius in hoc libro singula-  
 ria confitetur, ita posse defendi, vt ea vel  
 culpæ librariorum attribuantur, vel omnia  
 potius, quam frequens apud Ciceronem  
 vsus adhibeatur. Inter cætera verò, quæ va-  
 rietate lectionis defendit, sunt [ senectutem  
 adeptã ] & [ insomnia ] pro quibus [ Adepti ]  
 & [ insomnia ] mauult, quorum exempla  
 multa suppetunt, cum grāmatici veteres, &

libri manuscripti doctis viris testibus [ Ad-  
eptam ] agnoscant , & Sallustius dixerit [ Adepta libertate ] Insomnia verò insomnie  
hoc .n. apud Ciceronem est nouum, non in-  
somnia insomniorum , conuenit magis lo-  
co [ Caret, inquit, senectus cruditate , vino,  
lentia , & insomnia ] idest, somni vacuitate,  
quam Insomnijs.

Adiecit, eundem vocem, [ Cum ] iunxisse  
cum vocibus incipientibus à littera N, con-  
tra præceptum Ciceronis in oratore. De-  
claratū est , præceptum illud referi tantum  
ad præpositionem [ Cum ] iunctam cum vo-  
cibus inchoantibus à No, atque id Quincti-  
liano, & Prisciano placuisse, non autem ad  
coniunctionem [ Cum ] quam antiqui scri-  
bebant [ Quum ] veteribus grammaticis te-  
stibus , qui pro exem plo posuerunt [ Cum  
nauis ex Asia venerit ] Ciceronē præterea,  
Virgilium Terentiū Horatium, aliosq; ita  
aliquando iunxisse non negauit , sed aliū  
locum Ciceronis ad Petū opposuit [ Quid  
cum vulgo dicimus, cum nos te conuenire  
volumus, non obscænum est ] Demonstratū  
est Ciceronem huic sententiæ ibi fauere,  
nempe

nèmpè cum dicebat [Cum nos] nihil obscè-  
 num dicere, ac sententiam Stoicorum tue-  
 ri, qui obscænitatem nullam in voce esse  
 dicebant. Respondit Ciceronem iocari;  
 quasi verò tum primum Stoicorum decre-  
 ta amplexus sit, aut aliquando Stoicos ip-  
 sos irriferit, nisi cum causæ seruiens; Stoi-  
 cum Catonem irrifit; de quo ille dixit [Fa-  
 cetum habemus consulem] Quare non est  
 dubium, ipsum in hac etiam quæstione cum  
 Sigonio consentire, post quã huc totam di-  
 sputationem redegit. Notauit vocem Apol-  
 linis bis in his verbis repetitam [Creda-  
 mus sane Apollini Delphico, qui exoratus  
 à Trophonio, & Agamede, à quibus tem-  
 plum magnificum Apollini exædificatum  
 Delphis erat, vt quod esset optimum, ho-  
 mini tribueret; post diem tertium exani-  
 mes sunt inuenti.] Allatæ sunt aliæ eiusmo-  
 di repetitiones. Repetitiones probauit atq;  
 hanc etiam tolerabilem dixit: verum nou-  
 um id addidit; se solœcismo in his exèplis  
 hærente magis offendi [Qui exoratus exa-  
 nimes sunt inuenti] Quem quidem ita de-  
 fendunt [Qui exoratus] pro, [Qui cum esset

exoratus] sed Sigonius aliquanto mitior so-  
 læcismum esse confitetur, verum eiusmodi  
 alios reperiri apud Ciceronem, denunciat.  
 quorum non nullos Asconius, alijq; nota-  
 runt, vt de officijs primo [Sed quoniam, vt  
 præclarè scriptum est à Platone, non nobis  
 solum nati sumus, ortusq; nostri partem  
 patria vindicat, partem parentes, partem  
 amici: atq; vt placet Stoicis, quæ in terris  
 gignuntur, ad vsum hominum omnia cre-  
 ari, homines autem hominum causa esse  
 genitos, vt ipsi inter se alius alij prodesse  
 possent, in hoc naturam debemus ducem  
 sequi, & communes vtilitates in medium  
 afferre mutuatione officiorum dando, acci-  
 pendo] Huic autem vitio bonos omnes scri-  
 ptores esse affines ipsum Riccobonum asse-  
 surum pro sua æquitate, ac prudentia pu-  
 tat, cum & ipse alium in primo iudicio suo  
 effuderit nisi quid librarij vitio desit [ cum  
 tam multa in tantulo libello reperiantur,  
 nescio quis sanæ mentis eū esse Ciceronis  
 possit existimare, numquam Cicero occa-  
 sionem habuerit vtendi huiusmodi voci-  
 bus, nisi in hac consolatione ] In septima  
 conic-

coniectura, vbi elocutionem adhuc exami-  
 nans, minus proprie dicta obseruat; illud  
 in primis tamquam minus proprie dictum  
 animaduertat [ Animum ad futuram vi-  
 tam tamquam ad patriam euolare ] respon-  
 sum est, eum nihil dixisse parum con-  
 ueniens Ciceroni, siuè vt philosopho, siuè  
 vt Platónico. nam eiusmodi apud eos etiã  
 sententias celebratas. Respondit, se non la-  
 borare de sententia, sed de elocutione. nam  
 parum propriè dictum esse [ Animum ad fu-  
 turam vitam, tamquam ad patriã euolare ]  
 Responsum est, non propriè, sed translattè  
 hoc dictum esse. nam Platoni placuisse hanc  
 vitam peregrationem esse. Ad hæc ille in  
 dialogo ita [ Atqui hæc vita, & patria haud  
 quaquam inter se opponuntur. quia vita  
 est actio, patria verò locus: debuit autem  
 dicere, ad patriæ vsum euolare ] Bone deus  
 quis non crederet, hæc oracula esse, cum vi-  
 rum talem tanta cum animi fiducia hæc di-  
 cere, iterare, atq; asseueranter inculcare ad-  
 uersus hominem haud prorsus rudem vide-  
 ret? Vita, inquit, est actio. Verum. non lo-  
 cus; falsum est. nam si ita esset, falso dice-

rent Latini, Ingredi, & Prodire in vitam, exire, Cedere, Decedere discedere Egredi Migrare vita. Hęc igitur vita est tãquã diuersorium, atque hospitium, futura tamquam patria. vt autem hic dixit [ Certum est non habitandi locum, sed commorandi diuersorium nobis esse concessum, è quo cum migramus, alacres tamquam ex hospitio miseriarum egredi debemus, ac lætissimo animo ad futuram vitam, tamquam ad patriam euolare ] sic; Cicero in Catone [ ex vita ista discedo tamquam ex hospitio, non tamquam ex domo ] Quomodo autem ex vita tamquam ex hospitio, si vita est actio, & non lectus? Hoc, vt dixi, in dialogo. at in catalogo ita. [ Ad futuram vitam, tamquam patriam, inpropriè dictum in persona Ciceronis ] Quibus exemplis ostendit se ab executione damnanda redire ad sententiam improbandam: & quia certus sententię non est, tacite se assentiri hanc reprehensionem infirmissimam esse. Retulit etiam inter peritiorum propria quod dixit [ Præfinitum esse tempus à Deo, quod præteriri, aut ex quo egredi nemini liceat ] nam esse sententiam

39

Iob. probatum est, eiusmodi quoq; alias Christianorum sententias apud Ciceronē celebratas. Respondit vt ante, se non loqui de sententia, sed de elocutione. neq; .n. alias Ciceronem ita dixisse. Occursum est non esse necesse vt apud Ciceronem repariatur: fieri posse vt Sanctus Hieronymus qui historiam Iob. vertit, & verba similia vsurpauit, ab ipso Cicerone ea mutuatus sit; vt alia etiam mutuatus est. His demum subiecit, se minus proprium intelligere, idest non proprium Ciceronis hominis gentilis, & debere ostendi propriū esse Ciceronis. ex qua item inconstantia illud idē, quod, ante elicitur re ipsa cum Sigonio sentire, sed ne causam prodere videatur, verbis dissidere. Quid enim attinet sententiam insectari, cum in elocutionem, & oratum orationis inquiras? Exprobarat quod dixisset [Animam simul cum homine inferire] nam esse animum simul cum animo mori. Responsum est, Platonem item dixisse [non eodem die animum interire, quo homo moritur.] At mors, inquit, apud Platonem est dissolutio animi, & corporis. & ho

mo apud eundem aut pro animo accipitur, aut pro composito. Scite ergo non eodem die animus interit, quo animus à corpore soluitur; neq; animus interit cum homine, idest tum, cum homo compositum dissoluitur, si quidem vt Cicero inquit in prima Tusculana [ Interitus est quasi discessus, & secretio, ac diremptus earum partium, quæ ante interitum iunctione aliqua tenebantur ] ex quo ambos idem dicere, & sentire. Octauam demum exponens coniecturam dixit, quædam hic esse verba minus Latina. ostensum est, ea à Latinis scriptoribus esse adhibita. imprimisq; à Liuiio, & Suetonio. Respondit, eos nimis sibi probatos esse Latinitatis auctores. inde monitus, mutata sententia intulit minus Latina accipi duobus modis, vno rarius à Latinis vsurpata, altero nunquam: se autem intellexisse, rarius. qua in re illi Sigonius assentitur. Reprehendit autem illud, vt minus Latinum [ Is se hominem esse meminerit, nihil autem humanius esse morte. vt si mors ab ipso diuelli, atq; auferi posset, dijs propior habendus esset, quàm hominibus, nec omni ex par



te, hominis nomen ipsi congrueret, & præcipua hominis condicione non vteretur] Ac dici debuisse ait [possit, habendus sit, congruat] Responsum est, recte ita scriptum esse, atque eam illatione non à [meminerit] sed ab [humanius esset] pendere, hoc sensu, meminerit se hominem esse, nihil autem humanius, idest magis proprium hominis esse morte [vt] idest, vsque ad eo vt, si mors ab ipso auelli posset, dijs propior habendus esset, quam hominibus. sic de Amicitia, quæ rebatur quòd in omnibus homines diligentiores essent, vt [capras, & oues quot quisque haberet, dicere posset, amicos quot haberet, dicere non posset] Respondet [humanum] pro hominis proprio comparatiue nunquam dictum: ex quo suspicari libet, eum Sigonij interpretationem non reprobare. Videndum est autem quid sit in tertia Tusculana [si qui forte cum in luctu esse vellent aliquid humanius] Accusauit inde illud [De quo est apud Herodotum illum Xersi respondisse] allatum est simile exemplum, quod se probaturum fuisse respondet, si abesset vox, [eum] Ecce alterum exem-

exemplum vbi abundat vox [ Eum ] pro Ma-  
 lone [ Plebem , & infimam multitudinem,  
 quæ P. Clodio duce, fortunis vestris immi-  
 nebat, eam, quo tutior esset vita vestra, se  
 fecisse commemorat, vt non modo virtute  
 flecteret ] Damnauit etiam illud [ Lacernas  
 mulieres traditum est, occisis filijs vulnera  
 inspicere consueuisse. ac si aduersos vulne-  
 ratos esse comperissent, lætabundas funus  
 ducere, eosq; in auita sepulcra inferre soliti  
 tas esse: contra vero quos auersis vulneri-  
 bus concisos agnoscebant, ab ijs refugien-  
 tes, clam sepeliendos curabant ] Allata sunt  
 exempla duo simillima è Cicerone acci-  
 piat etiam tertium. primo de off. [ Nec no-  
 stis quidem probandus, si verum est Q. Fa-  
 bium Labeonem, seu quem alium, arbitrum  
 Nolanis, & Neapolitanis de finibus à Sen-  
 tu datum, cum ad locum venisset, cū vtri-  
 usq; separatim locutum, vt ne cupidè quid  
 agerent, nec appeterent: atque vt regredi  
 quàm progredi mallent. id cum vtriq; fecer-  
 ent, aliquantum agri in medio relictum  
 est. ] Cum ad vltimum dixisset, se iuratu-  
 rum esse, illud non esse Latinum [ Erepti

lij cogitatio adeo grata est , quod illum  
pæne ante oculos constituere videatur ]  
pro , adeo grata est , vt. monitus eum non  
bene construxisse, se assentiri confessus est.  
ac crimen istud omnium grauissimum li-  
benter in catalogo remisit.

**F I N I S.**

